

~~Ed. 276~~

1) Liberty P.

incl. 2) - 15)

EL 236

(3) = HF

4

ELEGIA
IN NATALEM RE-
DEMPTORIS ET IMMANV-
ELIS NOSTRI IESV
CHRISTI,

Scriptum ab

ANDREA GVNTHERO
MVNSTERBERGENSI.



VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich &
Antonius Schöne.

ANNO M. D. LXXII.

Andreas Gunther

AMPLISSIMO SENATVI
REIPVB. MVNSTERBERGEN.

SIS, DOMINIS SVIS OB
SERVANDIS.

DVM furit flabris Aquilo niuosis,
Dum gelu glebas Boreale stringit,
Dum domus, Syluæ, niue, rura, canent
Mense Decembri:

Nascitur factus caro nostra SILOH,
Vt suo primi facinus parentis
Auferat letho, reseretq; clausum
Limen Olympi.

Illius magnum studuit Thalia
Nostra Natalem celebrare versu,
Immemor ne tot pueri recentis
Dona taceret.

Hæc patres vobis patriæ dicata,
Quamlibet grato careant nitore:
Vos tamen quæso facili legatis
Carmina vultu.

Aucta cum nobis adolescet ætas,
Et ministrabit Clarior Apollo
Largior fontes, meliore versus
Arte canemus.

V. Amp.

Deditis.

Andreas Guntherus.

ELEGIA
IN NATALEM REDEMPTORIS ET
IMMANVELIS NOSTRI IESV
CHRISTI.

ERT genus innumeros hominum lacry-
mabile casus,
Ultima quos mundi secla gementis
habent.

Mille mali formæ subitis concursibus errant,
Nulla dolore domus, mœnia, regna, carent.
Nostris haud adeo proavis inimica fuerunt
Tempora, iam nobis qualiter ire vides.
Non seges, vt quondam, votis respondet avari
Agricola, sterili raraq; surgit agro.
Non ita, ceu quondam, curuatur fructibus arbor,
Brachia vixq; suis fert onerata comis.
Fluminibus paruo colludunt agmine pisces,
Piscosiq; prius sunt sine pisce lacus.
Ostendit tennes æris vix inuida venas,
Quæ prius argento plurima fluxit humus.
Non vultu Phaëthon surgit, velut antè, sereno,
Et vari densa sunt sine nube dies.
Quis nescit latos pestem penetrasse per agros?
Et miserè pauidos corripuisse lares?
Tristibus implentur longum loca multa querelis,
Dum dira premitur Teutonis ora fame.

A ij Nec

Nec nisi dira famem pestis comitabitur atram,
Lesaq; crudeli corpora falce metet.
Vndiq; sanguinei miscentur praelia Martis,
Armorumq; vago seuit in Orbe furor.
Auget in Imperijs ingens mutatio cladem,
Regnorum pariunt magna pericla vices.
Excessit pietas Terris, & amabile verum,
Rarus amor fratrum, sanctaq; rara fides.
Quid sacro memorem turpes de dogmate rixas,
Quas Stygius pleno Cerberus ore vomit?
Vix bene caelestis sunt reddita munera verbi,
Vix via saluandi vera reducta fuit:
En iterum mendax vario conamine Pluto
Nititur obliquis vertere vera dolis.
Extimulat furias odiosæ litis amantes,
Allatrant sanctos quæ sine fine viros.
Quos electa prius scripserunt organa libros,
In multis reijcit gens malè fida locis.
Heu malè turbatur lacrymosa Ecclesia Christi,
Dum noua Doctores semina litis alunt.
Felices nimirum, bona quos necis abstulit hora,
Aspicerent oculis ne tot acerba suis.
O vetitos nunquam tetigisset in arbore fœtus,
Nec tanti gemitus causa fuisset Adam.
Quàm foret humanis facies pulcerrima rebus,
Singula quàm fato prosperiore fluant.

Sed

Sed quia sustinuit fatales carpere fructus,
Se, genus in pœnas traxit & omne suum.
Ingredimur viuas medijs in fletibus auras,
Ante necem lacrymis nec modus vllus adest.
Totius in luctu trahimus data tempora Vitæ,
Donec nostra leui membra tegantur humo.
Sic miserum genus est humano sanguine cœtum,
Cui queruli nusquam forma doloris abest.
Augescunt mala: nam rari delinquere cessant,
Hinc meritò pœnæ turpiter acta manent.
Si finem faciant homines malefacta patrandi,
Iam leuior fiat vindicis Ira D E I.
Eheu sed quotus est, qui talia cogitet vnquam?
Qui semel à vitijs abstinuisse velit?
Dum queror, En roseo procedit Phosphorus ortu,
Natalemq; refert, Maxime Christe, tuum.
Salve sancte puer, caput exoptabile salue,
Tu via tu nobis vna salutis ades.
Tu nisi virgineo prodisses ventre, paludis
Tartaræ nobis vnda bibenda foret.
Tu venerande puer nos es miseratus egenos,
Tu nostri præsens es medicina mali.
Eia mortales mæstos deponite vultus,
Tempora quid planctu ducere longa iuuat?
Solvite vos luctu, faciesq; ad Sydera læti
Tollite, fausta petit gaudia læta dies.

A ij

Astra



*Astra super fugiant hilares rutilantia cantus,
Nullius hinc linguae plectra silere decet.
Ludite nascenti fidibus pia carmina Regi,
Tympana cum citharis, cymbala, nabra sonent.
Nunc nunc sollicitas procul hinc secludite curas,
Laetitia nobis prodyt hora noua.
Namq; Palestina genitus de Virgine **SILOH**
Impia primæui sustulit ausa Patris.
Est Deus est verax, promissis stansq; manensq;
Dicta Dei constans comprobatur usq; fides.
Promissum Cælo Semen demisit Abrahæ,
Per quod nos etiam gens benedicta sumus.
Res miranda: Deo, soboles æquæua Tonanti
Debile dignatur sumere carnis opus.
Ante suo cum Patre fuit primordia Mundi,
Qui, mare, qui Terras, fecit & astra, Deus.
Hic ubi iussa Dei infelix violauit Adamus,
Pro lapsu supplex plasmate factus adest.
Hoc illud semen, sæui quod dira Draconis
Debuit inuictò frangere colla pede.
Hic est, quem toties Sancti cecinere Prophetæ,
Multi venturum quem docuere Typi.
Hoc in fixa fuit patribus spes vna salutis,
Solutus hic afflictis portus & aura fuit.
Hic, inquam, quem non capiunt nec terra nec æther,
Intenero geritur ventre Maria tuo.*

Cedite

Cedite sceptrigeri prisco cum stemmate Reges,
Splendida Casaræ cedito pompa domus,
Ille puer Reges longè supereminet omnes,
Non illi cernunt Terra polusq̄ parem.
Aspice quàm Christi fuerit mirabilis ortus,
Quàm sint mirificis omnia facta modis.
Stellanti niueus descendit ab arce minister,
Conceptum pueri significare noui.
Casta puella fuit, tactusq̄ ignara virilis,
Quæ tanti mater debuit esse Dei.
Ecqua potest mulier fieri sine coniuge mater?
Magna potest summi dextera cuncta Dei.
Ex sterili fit anu mater fœcunda, paritq̄
Vatem, Messia qui paret antè viam.
Hinc & Zacharides materna clausus in aluo,
Ædibus in patrijs sentit adesse Deum.
Namq̄ salutantis vox est vbi facta puella,
Hic tuus ille infans Elisabeta salit.
Consilium vis nulla potest mutare Tonantis,
Naturæ constans nec ligat ordo Deum.
Omnia feruebant armorum regna tumultu,
Impius & latos miles obibat agros.
At quia longinquas accedere debuit oras,
Pignus vbi Virgo redderet alma suum.
Aurea rursus eunt tranquilla tempora pacis,
Dura viatori nec facit hasta metum.

Fœta

Fœta viam graditur fido præeunte marito,
Ruræq; Bethlemæ casta puella petit.
Hic illam peperit mater sine crimine prolem,
Quæ cœli reserat limina, clausa prius.
O ter felices quorum natalibus aruis
Dulcia protulerat regius ora puer.
Felices verò nimiùm, sua si bona nossent.
Quos nutris ciues, Ephrata parua, tuos.
Martia magnificam mirantur mœnia sedem,
Artificis docta quam struit arte manus.
Quæ stat marmoreis altè suffulta columnis,
Nec nisi regales vndiq; monstrat opes.
Omnibus at tectis stabulum præcelluit, in quo
Ediderat sobolem virgo pudica suam.
Clara locus celebris nulli dare nomina nouit,
Inclyta mens humiles auget honore locos.
Pomposa proles si quâ nascatur in aula,
Regificos luxus angulus omnis habet.
Splendida stant fuluo cunabula facta metallo,
Dat quibus eximium lucida gemma decus.
Pluma vel extremo mollissima quæritur Orbe,
Quæ leuis infanti lectulus esse queat.
Telaq; fasciolas exquisitissima præbet,
Quæ Phrygia penitus picta rigescit acu.
Ornat tale nihil summi cunabula Regis,
Nam decus in proprio corpore maius habet.

Ipsius

*Ipsius est omni genitum sine crimine corpus,
Attactu decorans foetida quæq; suo.
Ergo nec auratae cedunt praesepia spondae,
Quæ nati capiunt membra tenella Dei.
Raraq; Cygnæis certarint stramina plumis,
Stramina quæ sanctum sustinuere caput.
Fascia Sarrano fuit & prestantior Ostro,
In qua parue puer Christe volutus eras.
Sit licet aetherei proles æquæua parentis,
Et totas teneat totius orbis opes:
Non tamen ornatu gaudens nec diuite luxu,
Pauper, egens, humilis viuit in Orbe Deus.
In stabulo genitus iacet in praesepibus infans,
Quem stipula positum fascia rara tegit.
Ite procul pigri, cacodaemonis agmina, Ventres,
Cum socijs procul i Sardanapale tuis.
Huc age flecte viam tristis quem torquet egestas,
Et praesepe tui fataq; cerne Dei.
Paupertatis onus perfert, durosq; labores,
Vt tibi diuitias cœlica regna paret.
Tu quoq; fer patiens quæ te mala cunq; fatigant,
Est perpes Cælo nam tibi parta quies.
Custodes pecorum nemo negat esse beatos,
Illa qui cogunt nocte per arua greges.
Accipiunt primi nam Nuncia læta, Redemptor
Quòd sit Iesseæ natus in Vrbe puer.*

B

Accipi.



Accipiunt cantus turbæ volitantis in æthra,
Dulcior hac vnquam Musica nulla fuit.
Si pia perpetuæ est prægestus Musica vitæ,
Illius angelicum pars fuit ampla melos.
Adde quod & genitum viderunt virgine regem,
Quo mage quid lepidum cernere nemo potest.
Nostra nec infelix nunc est, si credimus, ætas,
Semper enim cunas nos prope Christus habet.
Currite mortales, contemtaq; currite turba,
Maxima sitq; pijs quærere cura Deum.
Vos hac cœlestes compellant voce ministri:
Est genitus vobis, & puer ille datus.
Templa subite, suum puer hîc præsepe locavit,
Panditur hîc Christi fascia sancta Dei.
Hîc Patris hausta sui mysteria pectore dicit,
Munifica spargens cœlica dona manu.
Quærere qui in sacra Christum neglexerit æde,
Illi post nunquam conspiciendus erit.
Ast quid ab Eoa quærunt Regione profecti?
Trini quò tendunt? quid memorantq; viri?
Ad Solymæa tenent, stella duce, mœnia gressum,
Et Regis sitiunt ora videre noui.
Quæsitum sed vbi non inuenêre puellum,
Bethlehemæ cupidi sordida tecta petunt.
Hîc sua soluentes submisso poplite vota,
Dant aurum, myrrham, grataq; thura D E O.

Et

Et dubitatis adhuc puero dare dona recenti?
Quantula quisq̄ potest munera ferre ferat.
Quos sapiens opibus voluit Deus esse potentes,
Auxilio miseros, templa, scholasq̄ iuuent.
Omnibus equali non dat Deus omnia lance,
Possidet vnus opes, sed petit alter opem.
Dives inopsq̄ loco simul aspiciuntur eodem,
Pauperibus diues ferre tenetur opem.
Iessæa puer hic non est quærendus in Vrbe,
Semper enim medius nos **D E V S** inter adest.
Quod das pauperie pressis, Christi q̄ ministris,
Id Deus extensa suscipit ipse manu.
Sunt & ab interno venientia pectore dona,
Quæ præstare **D E O** diues inopsq̄ potest.
Angitur ob scelerum cui mens sibi conscia maalem,
In Christo saluans sit modò nixa fides.
Indubitata fides firmo stet pectore victrix,
Turpibus & vitijs vita peracta vacet.
Fide Deo, votisq̄ Deum precibusq̄ fatiga,
Et crucis impositum fer patienter onus.
Flebilis euentus sors est habitura secundos,
Tristitiamq̄ sequi gaudia vera solent.
Heu dolor, heu gemitus Bethles auditur in aruis,
Planctu cuncta sonant & loca fæmineo.
Impius educto passim quia miles oberrat,
Infantumq̄ ferox perforat ense latus.

B ij

Puro

Purpureus facto manat de vulnere sanguis:
Innocuo tellus tincta cruore madet,
Stulte quid eterno meditaris funera Regi?
Effugit hostiles dire Tyranne manus.
Felices pueri, sævus quos sustulit ensis,
Vobis martyrij digna corona datur.
Viuitis in CHRISTO carpentes gaudia Cæli,
Nullus vbi vobis sensus acerbus adest.
Sæuus at horrenda confectus morte Tyrannus,
Æternùm pœnas quas patiatur habet.
Sed quæ causa fuit, quæ te puer inçlyte mouit?
Vt sumto fieres corpore verus homo?
Vicit amor nostri, miseratio magnâq; vicit,
Ne sineret lapsum morte perire genus.
Primæuo nam iussa Dei vetuere parenti
Noxia fatales carpere mala cibos.
Tristia perpetuæ minitataque funera mortis,
Qua præscripta die Lex violata foret.
At miser astuta deceptus fraude Colubri,
Ex interdicto stipite poma tulit.
Debuit ergo reus lethales pendere pœnas,
Ex Phlegethontæos tristis adire lacus.
Hic hominem miserata DEI mitissima proles,
Iratum supplex voluitur ante Patrem,
Orat, & exorat, lapsi miseretur Adami,
Nec cupidis tradat faucibus Orce tuis.

Mollior

Mollior at iusti fieret quò vindicis Ira,
Debita peccato pœna luend: fuit.
Ergo volens idem turpi se destinat aræ.
Ut foret offenso victima grata patri.
Ac Deus vt tristi posset requiescere letho,
Debuit humanæ sumere carnis opus.
Hoc erat, excelso cur vertice missus Olympi,
Induit humanum corpus & ossa **DEVS**.
Accipe quisquis amas habitare palatia Cœli,
Quàm tulerit natus munera magna puer.
Non legis metuenda pios sententia damnat,
Terrificat summi sæua nec Ira **DEI**.
Sunt absterfa tibi veteris contagia culpæ,
Fœdæq; sunt cordis crimina tecta tui.
Lurida non mortis credentes spicula terrent,
Nec trahit immanis sub sua iura Draco.
Heredes fieri diuinæq; gratia Cœli,
In Christi fisis nomine posse dedit.
Æthereis viam demittit sedibus auram,
Pectora quæ foueat numine nostra suo.
Partaq; perpetuæ sunt nobis gaudia vitæ,
Rursus & est patrij peruia porta poli.
Tanta suis felix peperit natalibus infans
Munera, quæ cunctis applicat vna fides.
O tibi quis dignas poterit persoluere grates?
Quis tua Magne satis munera **CHRISTE** canet?

B ij Angelicæ

Angelica nequeunt effari talia lingua,
Noscere mens hominis tot benefacta nequit.
Hoc tamen inculto modulamur carmine grates,
Balba tibi cum non soluere lingua queat.
Maxima sit casta tibi gratia virgine nato,
Sit tibi perpetuos gratia Christe dies.
Perpetuum seri celebrent tua dona nepotes,
Et taceant dotes tempora nulla tuas.
Per te iura silent, per te succensa parentis
Ira fugit, Satanae fractaque colla iacent.
Tu peccata tegis, Flammam tu mittis ab alto,
Tu vitæ tribuis gaudia vera nouæ.
His tibi pro meritis, mihi quæ persolvere non est,
Ardenti grates pectore totus ago,
Vultus ante tuos & verba precantia fundo,
Promptæ sint aures in mea vota tuæ.
Aurea saluifici serua mysteria verbi,
Nominis vt superet gloria vera tui.
Da, moderare, fove fidosque piosque ministros,
Qui tua sincerè tradita verba sonent.
Illos ne demens prohibe discordia turbet:
Sed vero constans nectat amore fides.
Ipse voluntates consultaque flecte potentum,
Vt defensores sint gregis usque tui.
Gentibus ex varijs sanctum tibi collige semen,
Quod fiat laudi dedita turba tuæ.

Da


Da Deus & miseræ cerealia munera plebi,
Quæ longa languet viscera fracta fame.
Scis bene nos circum quàm sæua pericula uallent,
Tuq̃ potes forti uertere cuncta manu.
Consilijs obsta veros inuoluere sensus,
Quæ uerbi cupiunt turba nefanda tui.
A nobis auerte luem, pelle impia bella,
Et quæcunq̃ tuo scis nocitura gregi.
Quin & propicio, Rex ô mitissime, vultu
Aspicias patriæ dulcia rura meæ.
Hic quoq̃ vera tuæ maneant oracula vocis,
Agminis & vigeant credula membra tui.
Viuisicôq̃ moue doctorum Flamine mentes,
Ut patefacta tui dogmata roris ament.
Te pueri discant ductore fideliter artes,
Qui patriæ subeunt culta Lycea scholæ.
Hoc tibi felices horto fac surgere plantas,
Quæ latè celebrent nomen in Orbe tuum.
Tu mentem, tu facta sacri moderare senatus,
Officij felix frena geratq̃ sui,
Consilijsq̃ tuam quærat laudemq̃ decusq̃,
Quem regit, & populi, commoda sola, sui.
Deniq̃ da cunctis ineat feliciter annus
Ciuiibus, & secum prospera quæq̃ uehat.
Ut tibi perpetuo cantentur tempore laudes,
Nominis utq̃ tui fama perennis eat.


F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]










B.I.G.


Farbkarte #13



LEGIA
 ALEM RE
 ET IMMANV
 OSTRI IESV
 RISTI,
 criptum ab
 GVNTHERO
 ERBERGENSI.



EBERGÆ
 Clemens Schleich &
 ius Schöne.
 M. D. LXXII.



4

